



Mos Dr. D. Jacobus Font Andreu,

Dei et Apostolicae Sedis gratia Episcopus Sancti Sebastiani, etc. etc.

Dilecto Nobis in Christo Dmno. Joseph M^e Arizmendi-errieta Madariaga
Nostrae Doecesis Presbytero salutem in

Domino sempiternam. Maxima vitæ ac morum integritate, singulari prudentia, ac scientia rerum divinarum congruenti præditos esse oportet, qui ad Pœnitentiæ Sacramentum ministrandum deputandi sunt. Cumque te hisce dotibus satis ornatum non immerito iudicemus, idcirco, tenore præsentium, facultatem tibi impertimur, ~~ad tempus usque ad diem vigesimam sextam junii millessimi nongentessimi quinquagesimi tertii~~

duraturam, ut in Diœcesi Nostra absque præiudicio iuris parœcialis, Sacrosanctum Missæ Sacrificium celebrare, fidelium confessiones audire, omnesque pœnitentes rite dispositos a quibuslibet peccatis et censuris absolvere valeas, exceptis iis quæ Sedi Apostolicæ aut Nobis, tam iure quam decreto diœcesano sunt vel fuerint reservata. Excludimus tamen Sanctimonialium confessiones, nisi specialem iurisdictionem a iure vel a Nobis pro eisdem acceperis. Te autem in Domino enixe hortamur; ut ad tantum munus rite obeundum, ea qua decet modestia ac puritate accedas, studio moralis theologiæ prævie atque indefesse incumbas, et quae ad rectam Sacramenti Pœnitentiæ administrationem a sacris Canonibus sancita sunt accurate observes; Constitutiones Apostolicas, præsertim Benedicti XIV, adversus sollicitantes ad turpia, absolventes complicem in re venerea necnon sacramentalis sigilli violatores, præ oculis habeas. Utaris ergo, quaesumus, hac potestate ad aedificationem non ad destructionem; quod si quid arduum inveneris, in cuius solutione sis anceps, caute sapientiores te consulas, absolutionem interim differendo. Monstra te amantissimum patrem, iudicem et magistrum; magna cum sollicitudine et patientissima caritate pœnitentes omnes complectens, eos præsertim quos dubie dispositos noveris ad Sacramentum accedere. Severe insuper prohibemus, ob tanti Sacramenti venerationem ne in privatis domibus vel Oratoriis illud administres, nisi gravis postulet necessitas congruisque cautelis adhibitis.

Demum, te sollerter admonitum esse volumus ut in Sacrosancti Sacrificii celebratione omnes et singulas rubricas Missalis Romani reverenter ac devote observes, præscriptum tempus nunquam tertia horæ parte inferius impendas; conscientiae puritate et præmissa oratione ad altare accedas, debitasque gratiarum actiones postquam ab altari recesseris Christo Domino referas.

Datis Sancti Sebastiani, die secunda mensis januarii
 anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo
 = VALEANT ETIAM AD VERBUM DEI PRAEDICANDUM =



† Jacobus, Episcopus Sancti Sebastiani

Excm. a Rmi. Dni mei Episcopi mandato

Lic. Raymundo Paramón
a. Sec.

Licentia ad Missam celebrandam
 VERBUM DEI PRAEDICANDUM
 et confessiones audiendas

Reg. Lib. curr. fol. 3